DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS III. FEBRVARII.

M. ANTONIO DE CAËN Doctore Medico, Præside.

1115

Estne Natura optima dux Vitæ?

INCOMPREHENSIBILEM esse Naturam, ut Empiricorum voluit negligentia; ita rationalem Medicinam profitentium diligentia id facit, investigari illa nat possit, imò ut debeat: quam obrem hi maximi sunt Medici quia & Sapientiæ studiosi; horum industriam non solum æmulantur ij ad quos animorum spectat procuratio; sed etiam sæpius ab his opem operamque mutuari coguntur, necessaria corporis cognitione, cujus temperiem mores sequuntur; Illis ut sup petit curandorum corporum scientia ex rerum Naturæ contemplatione orta, ita nec verba desunt; quo efficitur, ut à sermone de Natura artem auspicentur suam; quæ nec muta nec ingloria, cùm illius Professores & differant periè & scienter agant. Nusquam commodius quæsieris quid sit Natura quàm ab his, quorum fi uit in ea cognoscenda præcipuum studium. Illam cùm definire difficile sit, quia ambigua & multiplex, ideo prius in communem diducunt & propriam. Prima vis est quædam admirabilis quæ omnia pervadit, administrat; omnium communis mater, causa, principium: quæ Platoni anima mundi dicitur, aut qui spiritus intus ædit, totamque infusa per artus mens agitans molem, divina ratio toti mundo partibusque ejus inserta; divina ars, cujus soleriam humana ars nulla, nulla manus, nemo opifex consequi possit imitando; quæ intus in suo opere ita est & delitescit, cum laborat, ut appareat, eam foris minimè esse negligentem: huic illud proprium. est, ut in ipsa simul inveniatur materia, ex qua quæque res efficiatur, & vis illa, quæ quidque efficiat. Hanc, cum infinitæ sit sapientiæ providentiæque, sic sapientissimam esse par est, imo divinam providentiam sapientiamque, Deum ipsum Opificem Rectoremque universi: aut si quid aliud à Deo Natura illa est universalis, Dei vicarium esse necesse est, qui uti cuncta gignantur principia subministrat; unde à gignendo φύσις, ut à nascendo dicta natura. Ab universali singularis emanat, ut à fonte rivus, à trunco ramus, à matre soboles: Hæc, originis suæ retinens solertiam & sapientiam, singulis rebus propria est, mineralibus, metallis, stirpibus, animalibus; uniuscusque in quo est principium & causa motus quietisque. In homine est vis quædam paticeps rationis atque ordinis, quæ ex se ipsa movetur efficienter, tanquam viâ progrediens ad generationem, ejusdem opifex & conservatrix; aliis est ignis artificiosus, actuosus, ætherens, unde prodeunt, continuantur, absolvuntur motus omnes ad vitam necessarij, æquabiles, constantes, generationis, incrementi, perfectionis. Hæc natura cùm propria cujusque sit, & ab aliis diversa, difficile dictu est an temperies quædam emergens ex elementorum mistione, peculiari ac modo, unà cum spititibus, humoribus, partibus solidis, censeri debeat, an τὸ ἐκκαθαρμένον dici? quicquid sit, quemque ita constituit, ut per eam maximè differat abs quivis alio, non iis tantum actionibus quæ corporis sunt, sed animi, aut utriusque. Nativum calorem, etsi is omnium naturalium operum author videri possit; ne tamen plane confundas cum natura; alioquin instrumentum cum artifice, servum cum domina, subditum cum principe mis cueris. Diviniorem tantum hîc admittimus Naturam, eamque sapientissimam, quam contemplatur Hippocrates & admiratur: tùm privatam hanc, quam in se quisque conclusam habet, tùm publicam illam, quæ ubique cum adsit, privatam ubique adjuvat. Vtraque una, multiplex; propria, communis; simplex, multiformis; Prætum rectè dixeris. Ne hominem, qui microcosmus est, utrâque defectum existimes aut alteruträ. In hoc ambæ tanquam in sacrario conjunguntur amico fœdere, societate operum, similitudineque ita vinciuntur, ut etres, si amplius geminas putes: unius igitur Naturæ monita, sapiens cum sit, auscultа, si sapis ipse, ad sanitatem sufficiet & ad virtutem: Ad hujus normam tuas actiones omnes dirige; hanc elige consiliorum totiusque vitæ præceptorem atque magistram.

QVISQVIS mortalium vis scire Naturam, ubi & quid agat? observa earum omnium, quas suo complexu mundus coercet, rerum minimas, maximas, quaslibet: ubique se ostendet illa suis signis. Studes compendio? te unum inspice, nosce te ipsum, sed intus & in cute; satis superque erit, ut possis nôsse, opus Naturæ, opus esse intelligentiæ. In homine ut parte totius universi pulchriore, perfectiore, diviniore, omnes illa suas contulit divitias, seipsam exhausit: Ita Naturam homo tractus benigniorem matrem, omnium animantium, quatum ut figurâ formam vincit, sic tenet principatum, hinc rationem & manus huic illa dedit amplius quàm bestiis; quibus artes ad necessitatem vitæ aut jucunditatem & arma suppediantur omne genus. Quæ fuit Naturæ cura, studium, solicitudo erga hominem. Is omnia sua illi debet, cum sanus est, quamplurima debiturus; si æger conualescat. Illinc, à primo ortu, eas habet res, quas Medici naturales vocant; his constat & durat; quas quicquid immutat, depravat, evertit, contra naturam esse censendum est: ibi hæc se se opponit pro viribus, nunquam detrectatura certamen, opus suum ne quid capiat detrimenti: quæ verò res inter naturales & eas, quæ contra naturam dicuntur, mediæ sunt, naturam ipsam si spectes, semper bonæ, utentis pravitate tantum malæ. Quàm artificiosa eadem natura sit, vide hominem cum fingit in utero & efficit. Hujus tota præ cæteris animantibus fabricatio perfecta est, solers subdulisque descriptio partium, eximia constructio membrotum, subjectorum ossium mirabiles commissuræ ad stabilitatem aptæ, ad finiendos artus accommodatæ, ad motum, ad omnem corporis actionem; nervorum implicatio conveniens atque distributio toto corpore pertinens, quibus artus continentur, habentque sensum & motum; venarum arteriarumque singularis unitas in corde unde tractæ, profectæ; earumdem innumerabilis multitudo, ubi desinunt extremis etiam partibus intextæ; omnium denique, è quibus constamus, temperatio tam concinna, tam elegans ordo, ut nihil ad usum melius, ad speciem pulchrius esse possit; nihil convenientius animæ moribus & facultatibus, habilêque magis humano ingenio. Eruditam esse naturam dubitas? Infantes pueros considera, quàm blando labrorum linguæque motu lac sugant è mammis, facile divinabis hos antea edoctos esse in ipso matris utero ab optima magistra. Perge ad alteram ætatem, mirare pubertatis stupendas & subitas mutationes. An eadem Natura justissima meritò censenda est, cum incrementi modum in animalibus statuit & certos fines, quos ultrà citraque nequit consistere rectum? An hæc ut servet, illius sapientia est providentiaque sagacissima, cum cibi cupiditatem & potûs ingeneravit, ut coctione eorum atque commutatione distributioneque factâ, quod effluit, refarcietur; ob id etiam somni vigilæque necessarias vices concessit. Ejusdem industriâ cibi reliquiæ depelluntur per imam excrementorum viam, cùm astringentibus se intestinis, tùm relaxantibus; potûs verò humoribus iis qui ex renibus vesicâque profunduntur, ejectis aliis sordibus per insensiles cutis meatus extra corporis pomœria. An Naturæ divinitas est quædam & vis admirabilis in functionibus animæ edendis, perficiendis? unde ingeniorum miræ varietates atque morum; hinc animi celeres motus ad excogitandum acuti, ad explicandum ornandumque uberes, ad memoriam firmi, diuturni; ad omnem denique virtutem Naturalem, etiam moralem accommodati: ideo Natura tam blanda conciliatrix, & quasi sui lena, cujus tanta vis est, ut nemo homo velit, nisi homini similis esse. Sic consultrix & provida utilitatum opportunitatumque omnium quibus servari sanus quàm diutissimè possit, & æger quàm citissimè restitui sanitati. Hinc prodigiosa illius calliditas, potentia, dolum dicas an virtutem, ut à morbis redimat? An ideo primus illa audit jure morborum Medicus, cùm tutò, celeriter, jucundè curat? nihil temerè agens, nihil supervacaneum, nihil nimium, nusquam cessans, ubique sufficiens, nec deficiens vspiam, quæ nisi vias invenit, facit; quibus vel aperto marte, vel insidiis certis statisque periodis dierum, hebdomadum, mensium, annorum, imparibus ferè, septenariisque sibi sacris, insensum hostem à vitæ laribus longè propellit, operatâ prius coctione, separatione, quam evacuationem machinetur. Sapientis Naturæ isthæc sunt opera omnia scientis & agitantis motibus mutationibusque suis, ut vitam sensumque totius & partis foveat, tueatur, sustentet, hæc in omnibus momentis fide catet, nihil incredibile existimandum de ea.

TANTI esse vitam quis putat sedulò, ut tot constare Naturæ beneficiis existimet, tor indigere credat ad sui conservationem? Illa Naturæ depositum pretiosissimum, quod, quomodo initium nobis omnium rerum, bonorum, cum ortu nostro affert, sic exitum mors; illam, qui servare potest quàm diutissimè sanam, beatam, hanc retardare, sapiens sir necesse est; vitæ ideo dux quàm optimus, qui ei semper præsideat, eam regat, qui ne momento quidem abesse possit aut debeat: id facit tandiu, quandiu societatem corporis & animæ fover, retinet. Hæc stat donec convenientia est corporis cum animâ, cujus est instrumentum; finitur eadem interitu, qui dissessus est, diremptusque earum partium quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur; quæ sociatas sparium vitæ metiur, quod constat partibus juxtà commutationes ætatum & corporis temperationes, variis, ad quadripartita anni tempora accommodatis. Illatum etsi diversarum unus est cursus, via una Naturæ, eaque simplex, sua tamen cuique tempestivitas data, unde ut magis infirmitas puerorum, ferocitas juvenum, gravitas constantis ætatis, sic senectutis maturitas naturale quiddam habet, quod suo tempore percipi debeat. Hæc ut plus naturæ deber quam ulla quævis ætas, sic & sua aliarumque omnia reddit; hanc itaque mors excipit sed naturalis, mori si quidem hominis Natura est non pœna, cum expletur vita satietate vivendi, definitque sine dolore, molestiâ: aliter judicandum de eâ, quæ ut funus infert accerbum, sic violenta ferè & contra Naturam est: quæ ut vitæ contraria; sic altera ejusdem terminus & ultima rerum linea; ut altera fugienda fugindaque omni industriâ, sic altera placidè expectanda, nec metuenda, nec optanda; ut alterâ præcidirur conjunctio utriusque Naturæ, corpotis & animi; sic alterâ diffuitur sensim. Hoc modo bis-puero claudirur vita, cui semel puero eâdem ferè ratione contigit, tam similis est ratio ortus & exirus; cum utrimque nullarum fere rerum nec doloris sensus. Pueri tum vita incipit, cum extra uterum accipit auraum lucisque usuram, qui ante alienâ potius matrisque vitâ vivere videbatur quàm suâ. An hoc tamen vel contrarium affirmare temerarium? cùm id scire nemo possit. An conjicere nihilominus licet, unde fit id probabilius à primis statim conceptionis diebus, spiritum genitorem sibi extruere domicilium, illud cor est, ideo vitæ principium, animæ prima sedes, licet angusta, tamen augusta, Naturæ privatæ tyrocinium: hic in unâ sede morantur anima & natura, tam benè conveniunt: ab his, tam parvis vitæ exordiis parentum hæreditatem adimus, bonorum (unde habent quod gaudeant benè nati) malorum etiam, quæ pessima est hæreditas; tanta vis est principiorum, ut parum fermenti totam massam inficiat; quod debetur acceptum calori, cujus est innocens culpa, cùm æquè promovet mala quàm bona: ille socium ab ortu adsciscit humorem; in quibus duobus maximè vita sita esse creditur: ob id etiam in sanguine posita ab Antiquis, cum similis sit temperie; quæ fœlicior censetur ad vitam. Sanguinis origo est cor, fons, officina, illinc nullum animal quod sanguinem habet sine corde est, quæ pars ut est prima & novissima tempore sic nobilissima. Ab antiquâ nobilitate & illustri sanguinis conficiendi cudendique munere, meritò nunc excidit jecur, cui principatum in microcosmo error olim tribuerat hominum non Natura. Nobilitatis indicium in corde, subditarum partium dependantia, quæ omnes, si languet princeps, etiam & languent. Hinc cor solum viscetum vitiis diu non maceratur, nec vitæ supplicia trahit: id ne fiat, ut omnium intereft partium, sic omnes in id laborant maximè, suo quæque modo. Illud tametsi primò pepererit præcipuam vitæ causam & originem, eam tamen servare non potest, sine adjumentis iis, quibus vita tenetur, cibo, potione, spiritu; quorum communis ingressus os, hujus etiam nares, unde per asperam arteriam ad pulmones via est, quibus raritas & spongiæ similis mollitudo, additis inanibus fistulis ad recipiendum aëtem aptissimis, hujus ut vicinitâ cordis calor temperetur ad vitam, dum admittitur, statim emittendus, cum incaluit, inutilis, nî vocis fiat materia: Cibus & potio per stomachum demittuntur in ventriculum, ubi sufficienti morâ cùm attriti subactique & in succum cremori similem mutati, postea delabuntur per intestina tenuia ad lactes, quæ exceptum commeatum viaticumque transmittunt in receptaculum commune juxta renes, inde deuehendum per canaliculum sæpius geminum, quandoque unicum secundum dorsi vertebras ad subclavias venas; quas pluribus ingressus furculis chylus admisceturſanguini. An ab his minimis vita pendet? an his filis ducitur? quæ si rumpi contingat, hinc subitæ mortes, atque intestata senectus, corde, suo genio, defraudato, quod iisdem dum fruitur commodis perpetuo incumbit operti, dum sanguinem facit & perficit; qui dum itque reditque vias toties à corde per arterias ad extimas corporis partes, has facit vitæ participes; dum ab his redit per venasad sum principium, iterum incudi veluti & perfectioni redditur vitamque resumit. Non aliunde consensio omnium conspiratioque petenda est, quàm ab illo sanguinis motu: ab hoc oriundus animalium calor, spiritus, quibus vita servetur, motus & sensus vigeant, omnes actiones obeantur.

VERVM, ut animantium homo perfectissimus, ita non esse solum, quod cæteraram est vivere, sed etiam perfectiori modo debet esse, quod est benè beatêque vivere. Summum hoc bonum est, quod ad nullam aliam rem, ad id autem cæteræ res referuntur omnes; illud stare non potest sine virtute, sanitate; ad utrumque Natura viam monstrabit, quæ in omnibus mediocritatem tener illam, quæ est inter nimium & parum, & qua præsertim gaudet virtus & sanitas. Vtraque hæc ad animum pertinet & corpus, simul, seorsim, alternatis sæpe numero vicibus. Hinc votorum illud omnium quàm optimum, ut sit mens sana in corpore sano, inde perfectio actionum, in qua virtus consistir & sanitas; tanta est utriusque similitudo, ut idem habeant extremum. Actio perfecta est, cùm ea congruunt interse, è quibus constamus; tunc neque ægrorato in corpore, utrinque doloris vacuitas. Anima & corpus, tametsi res longè dissimiles, multa tamen ex conjunctione vicissim sumunt commoda, pluta etiam incommoda, unde dolendum communicari mala quàm bona proclivius, & frequentiores esse à corpore in animum errores, quàm vice versa. Haud æquis partibus emolumenta hujus societatis conferantur cum damnis: quo deterior pars, eo magis deterit deoprimâ, cùm ei jungitur. Quo factum est ut non minus misericors quàm sapiens Natura invicem de animis hoc sit meritа melius, quod corporum adjumenta adhibentur extrinsecùs, salus animorum inclusa in his ipsis est. Vtrumque punctum tulerit, qui haud habebir quod de utroque queratur, aut alterutro; in hoc vitæ perfectio posita est; ad hoc homo Naturâ semper indiget, sæpe & arte. Illa quemadmodum aliquando æmulam virium suarum artem esse patitur, ita sæpissime irritam fesso labore dimittit; illi igitur plus fidas, cui debeas sanitatis, virtutum, artium semina aptis & fundamenta; cùm hæc culturam tantum & curam eorumdem præstet, si Natura his adjumentis opus habear, quod tarum, ad actiones animi, corporis, hoc tene, ut Medicina valetudinis; sic vivendi artem esse prudentiam. Vtraque ars est præstantissima, cùm ex Naturæ præcripto agit, Naturæ paret; Philosophia quæ mores regit, virtutem docet esse animi habitum Naturæ modo ac rationi consentaneum, aut Naturam ipsam in se perfectam, & ad summum perductam, quæ ad laudabiles actiones eos impellit, in quibus est. An Natura magistra ex occulto producir ingenia, alia ad pacis, alia ad belli munia magis apta? An vis cuique insita intus format ad hujus vel illius artis, scientiæ, virtutis habitum, ad illud juvar, urget; ab hoc abducit, retrahit, hæc Achillem sub muliebri veste occultum prodidit, & ostendit natum ad bellicam laudem, hæc alios ab agrorum culturâ, aut pauperibus casis, ad solium regale & imperium in cæteros tenendum transtulit, quos sæpe speciosiores formâ esse voluit, ut facile appareat naturalibus signis ad rem publicam gubernandam esse destinatos. Pariter sapientiæ pars altera, quæ sanitatem hominum curat, admoner valetudinem sustentari notitia sui corporis & observatione eatum rerum quæ vel prodesse possunt vel obesse; quæ ut à Naturæ contemplatione pendent omnia, ita in uno quoque varia illa sunt, quod varia Natura minuscujusque sit, vel sui per se ratione, vel ætatis, vel sexûs; nempe trahit sua quemque voluptas, quam Natura insevit cuique, quisque suos patimur manes; huic ille cibus sanitatem custodit, qui in alio crearet morbum; an ideo deterior paulo, sed suavior, Melioribus, si minus gratis alimentis, est præferendus, similiter non omnibus annis omnia conveniunt, ut beata laudabilisque sit cujusque vita. An turpis acridicula res est elementarius senex? An juveni parandum, seni utendum est? Hunc scilicet consilio, authoritate, prudentiâ rempublicam adjuvare consentaneum Naturæ & rationi est; Illum viribus & celeritate corporis idem præstare decet; In pueris docilitas, memoria, ingenij indicia sunt, cùm in vitis gravitas & constantia desideretur. Diversitas etiam sexûs diversitatem actionum arguit & exigit. Mulierem fortem quis inveniat? à Natura scilicet comparata est opera illius ad domesticam diligentiam; viri ad exercitationem forensem & extraneam: huic calores, frigora perpetienda, itinera, labores pacis & belli Natura distribuit; illi, quod his rebus fecerat inhabilem, domestica negotia curanda tradidit: quem sexum ut custodiæ & diligentiæ assignavit; sic timidiorem reddidit: virum verò quam mulierem fecit audaciorem.

VITA cùm contineat contemplationem & actionem, quibus suam felicitatem possit complecti, utrumque habet à Natura perfectissimum: Illa tamen manca & inchoata æstimanda est, nisi actio rerum consequatur; ex utriusque conspiratione vitæ perfectio. Contemplatio est liber animi intuitus rerum, naturalæ animorum quasi quoddam pabulum veluti ipsi maximè augeantur; Actio verò est cùm ea prosequitur homo aut fugit, quæ cogitatione cognovit utilia esse aut noxia. Felix is nimium sua hæc si bona norit; iners si non utitur; fi aburitur perversus; ingratus si Naturam criminatur tam beneficam: his pius, justus, dives, sapiens, liber esse potest, sibi alisque juxta benignus, nempe id habet à Natura, ut ex hoc aspectabili mundo, & eorum quæ in eo quotidie oriuntur & occidunt varietate, pulchritudine, ordine, Deum ipsum possit cognoscere hujus universitatis Authorem. An Natura prima pietatis est magistra? eadem etiam singulos homines in id genuit ut se natos debeant arbitrari ad alios juvandos, tutandos, conservandos, quia ipsis sunt similes & ejusdem universi partes; An stirps juris est Natura? quæ homines inter se confusi fi dissentiunt, pravitate dissentiunt? homo videlicet Naturæ obediens, homini nocere non potest, ne dum sibi ipsi; unde apertum est Naturâ quemque sibi esse carum, & id habere ut se diligat, conservet, omnia in corpore & animo perfecta velit esse, omnibus expleta virtutibus. Quod cujusvis etiam animalis est, ut statim atque natum est, concilietur sibi atque commendetur ad salutem & conservationem sui: ad id appetitionem habet declinationemque naturalem & sensum rerum aut utilium, aut noxiarum, quibus duci se patiuntur cæteræ animantes. An idcirco & rarius ægrotant quàm homines & lividiores? An illidem commodis fruebantur recentes ab ortu mundi mortales, atque etiam ut diutius viverent, quia nondum Natura arti cesserat, nec frugalitas luxuriæ, nec necessitas voluptati? Tunc vivebatur parvo benè dum ex Naturæ lege vivebatur, quæ, licet opulenta, semper & ubique significar quàm paucis, quàm parvis rebus egeat, quàm vilibus? in quantum sitis atque fames & frigora poscunt, ad hæc nemo pauper est. Divitias illa quibus contenra est, & parabiles & terminatas haber. Sed quod illi semper satis est, homini sæpe saris non est, qui solus animantium, terra pascitur & mari, ut meritò φωνάρης audiat; humanum illud non Naturæ vitium est proclivia negligere, simplicem cibum & optimum non admittere, panem & aquam respuere, quæ ad vitam servandam sufficiant; contra prosequi sapotum acervationem pestiferam, perniciosa condimenta, cœnas dubias, quæ omnia & mortem accelerent & magnas morborum cohortes invehant; hæc sunt artis operosæ mala simplicem Naturam nunquam imitantis; quæ omnibus cùm obvia sit, pluribus tamen est invia, soli pervia sapienti, is rebus sublunaribus commodè utitur ad salutem, ad virtutem, & astris ipsis dominatur, quia ubique agnoscit Naturam, ubique sequitur, unde quæ illi omnia facilia & expedita, cæteris ardua, perinde ac adverso nantibus flumine & contra aquam nitentibus; in his labor laborem excipit, error in novos errores præcipitat, ex quibus emergi non potest, nisi una duce Naturâ; tenenda igitur via, cum sapiente, quam illa præscribit, nec ab ea declinandum: hac fiquidem duce errari nullo modo potest, quæ ita semper adjunctam habet comitem voluptatem, ut nihil quidquam velit quod sit repugnante ratione, imo illa sæpius ad virtutem, ad sanitatem sine hac, valet, sine doctrinâ, quam ratio valeret & doctrina sine Naturâ, sic nihil aliud est benè beatêque vivere quàm secundum Naturam vivere; hoc igitur adverte solum, ne quos dedit hæc parvulos igniculos, celeriter malis moribus opinionibusque depravatis extinguas, fed satage ut eosdem caute excites, quò ejus deinde majus lumen appareat: quæ posuir in ingenio semina virtutum, artium, sine, ut adolescant, ad felicem postea frugem perducentur: ne obsurdescas, cum declarat quid velit, quid desideret. Verùm quæ ab eâ monetis, studiosè auscultа; cùm semper, si diligentet attendas animum, aut te impellit ad optima, salutaria, aut revocat à turpibus, noxiis, ut suus olim Genius Socratem; nec aliud unquam Natura, aliud sapientia dicit.

Est ergo Natura optima dux Vitæ.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

F.M.P. BIBLIOTHECA

M. Ioannes Antonius Bourgeaud.	*M. Robertus Patin.*	*M. Helias Beda.*
M. Germanus Hureau.	*M. Michaël de la Vigne.*	*M. Ioannes du Cledat.*
M. Ioannes de Bourges.	*M. Petrus Perreau.*	*M. Claudius Quiquebeuf.*

Proponebat Lutetiæ CAROLVS BRISSET, Druïda A. S. R. H. M. DC. LXI.

0 1 2 3 4 5 (cm)